



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

51. Magister, ac Procurator &c. Sanctissimi D.N.D. Benedicti Papæ XIII.  
Declarationes super quibusdam Dubiis circa intelligentiam contentorum in  
Constitutione Pretiosus excitatis, emanatæ. Foris. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXIV. Septembris M DCC XXVIII. Pontificatus nostri, anno V.

F. Cardinalis Oliverius.

L.I.

Sanctissimi D. N. D. BENEDICTI PAPÆ XIII. Declarationes super quibusdam Dubiis, circa intelligentiam contentorum in Constitutione *Preiosus* excitatis, emanatæ. Foris. Sanctissimo D. N. D. BENEDICTO PAPÆ XIII. pro Magistro, ac Procuratore Generalibus Ordinis Prædicatorum. Intus verò, Beatissimè Pater.

*Beatissime Pater.*

**M**agister, ac Procurator Generales Ordinis Prædicatorum, provoluti pedibus S. V. humillimè eidem exponunt, exorta hæcenus fuisse plura Dubia circa intelligentiam Constitutionis *Preiosus* - - super quibus maximè Ordo ipse vexatur. Quoniam verò Divinæ placet Providentiæ, ad Ecclesiæ, ejusdemque Ordinis firmamentum, Beatitudinem Vestram in vivis, juxta fervida Oratorum, ac Ordinis vota, conservare, ea propter supplices exorant, quatenus dignetur Sanctitas Vestra ore proprio Apostolicam circa eadem Dubia mentem aperire. Dubia verò selectiora, ac graviora hæc sunt.

Primò. An stantibus omnimoda subjectione, ac dependentia à Superioribus, aut Delegatis Ordinis, præscripta à S. Vestra Confratribus, aut Congregatis quarumcumque Societatum, pro tempore in Ecclesiis, Oratoriis, aut Clausuris Ordinis prædicti, erectarum, vel etiam convenientium pro opere pio, aut devotione aliqua exercenda: necnon omnimoda pertinentia ad Ecclesias, & Conventus Ordinis ipsius, bonorum quorumcumque prædictarum Societatum; harum Confratres, sive Congregati, etiam illi, qui aliàs peculiare Oratorium, ac Societatem aliam ab Ordine independentes habeant, in eligendis, removendis, mutandis Officialibus, in Processionibus, custodia, usu, administratione quarumlibet rerum, atque in omnibus, & singulis aliis, quæ quomodocumque pertineant ad Societates ipsas, fundatas, vel quatenus convenientes, ut suprâ, ad Ecclesias, Oratoria, aut Clausura, prædictam subjectionem, & dependentiam, sub penis in Constitutione taxatis, habere - - Mobilia verò, & signanter Sacræ Imagines, & supellectilia, eorumque, sicut & cujuslibet Altaris, Oratorii, Sacramentarii, ac Ecclesiæ, claves, penes Fratres residere: hisque Confratres, & Congregati prædicti, tamquam veri, & simplices bonorum Ordinis Ministri, & Administratores, in majus Dei servitium à Fratribus ipsis assumpti, & data saltem occasione, amovibiles, *privativè* quoad Ordinarios quoscumque locorum, rationem administrationis cujuscumque generis bonorum, toties quoties requisiti fuerint, reddere: necnon *privativè* quoque quoad Ordinarios prædictos, Superiores tamquam verè propria, ac pleno jure, non ad Confraternitates quasvis Laicorum, sed ad Ordinem pertinentia, non solum Oratoria, aut Ecclesias, quæ ante Ordinis ingressum ad Societates illas spectabant, ac Ordini postmodum per unionem perpetuò accesserunt, sed etiam Oratoria, Capellas, Altaria Societatum quarumvis, in Ecclesia Parochiali Ordini perpetuò unita, vel unienda, erectarum, necnon Societatum Sanctissimi Nominis

Jesu, Rosarii, aliarumque ad Ordinem spectantium, usibus quocumque extra Ecclesias, aut Clausura Ordinis destinata, vel destinanda, quamvis ipsarum Societatum, aut Confratrum expensis fabricata, vel fabricanda: eorumque supellectilia, & ornamenta quæcumque, in omnibus, & per omnia ad instar bonorum, supellectilium, ac ornamentorum Societatum per solos Fratres ipsos dumtaxat in omnibus, & per omnia, administratarum, sive aliàs pleno jure, & dominio ad Ordinem ipsum pertinentium, visitare, tanquam verè dispositioni Concilii Tridentini *Seff. XXII. Cap. VIII. & IX.* pluribusque Congregationum Episcop. & Regul. ac Concilii, Decretis, non subiecta, debeant, ac teneantur?

II. An spectatâ immediatâ soli Summo Pontifici, ac Romanæ Ecclesiæ, Ordinis, ac omnium, & singulorum ad ipsum spectantium, Subjectione, cum amplissima exemptione prædictorum omnium à jurisdictione cujuscumque alterius, à Sanctitate Vestra in confirmatione, ac innovatione Constitutionum Prædecessorum suorum validissimè firmata, & si opus sit, restituta, Ordinarii quicumque locorum, Capellas, Oratoria, aut Altaria quæcumque, etiam in Grangis Ordinis erecta, aut in Ecclesiis Parochialibus Ordini perpetuò unitis, vel uniendis, saltem cum clausula - - *Salvis Juribus Episcopalis* - - præter Altare Parochiæ, ac cætera, animarum curam, & administrationem Sacramentorum, ad tramites Concilii Tridentini *Seff. XXV. Cap. XI.* spectantia, alia Altaria, aut Ecclesias ipsas: aut ornamenta, supellectilia, & mobilia Altaris, cui sit adnexum Beneficium aliquod Sæculare, à Fratribus prædictis posita, posita verò à Beneficiario, non assistente Superiore locali Ordinis, visitare - - Prælati verò inferiores, Parochi, Capitula, aliive Clerici Sæculares in Ecclesiis, Oratoriis, Clausuris, Capellis quibuscumque Ordinis, hucusque dictis, Officium Parochiale exercere: conciones, aut sermones habere: Sacramenta administrare, vel infirmis ministrandâ accipere; Cadavera sepelire, vel, non determinatâ cum Fratribus congruâ delationis horâ, portare: Missas cantare, vel, liberè, non annuentibus Fratribus ipsis, celebrare: Exequias quaslibet, exclusis Fratribus, vel, iisdem admissis, solemnes cum thurificatione, aut asperzione aquæ benedictæ, aut aliter, quam à Sanctitate Vestra permissum est in prædicta Constitutione - - §. 74. sive non liberè, ultra unum dumtaxat Parochum, à Defuncto ante mortem, vel post mortem ab hæredibus, electi, aut vocati; ac aliam quamcumque functionem peragere possint, & valeant?

III. An circa approbationem Fratrum, prævio examine, ad Confessiones Sæcularium audiendas Episcopi teneantur juxta sancita à sa. me. Clemente X. in Bulla - - *Superna* - - Fratres generaliter repertos idoneos generaliter quoque, & sine limitatione temporum, locorum, aut personarum approbare: ac saltem Fratres graduatos, sive ætate maturos in primo examine simpliciter, ac generaliter eodem modo approbare, vel reprobare, quod aliàs à Congregatione Concilii decretum universaliter refertur; Subindeque non obstante aliàs consuetâ in Patentibus Literis, ad eas pro arbitrio Episcoporum renovandas, temporis præfixione, semel sic approbatos, nisi gravis superveniat causa, confessiones ipsas spectans, à Confessionibus suscipiendis arceri, aut suspendi non possint?

IV. An, ut firma, & illibata permaneant quæ post Triden. *Seff. V. Cap. II.* S. Pium V. & Clementem X. Prædicatoribus Ordinis Sanctitas Vestra concessa voluit, Fratres pro habendis Concionibus Quadragesimalibus, aut Annualibus, in Ecclesiis, aut Oratoriis ejusdem ipsorum Ordinis, solummodo, & quidem ad terminos Constitutionis prædictæ laudati Clementis X. Benedictionem ab Episcopo petere, Licentiam verò, ac Literas Patentes, nec non pro singularibus concionibus morali-

bus,

bus, five panegyricis, atque pro promovendis Societatibus supradictis, Benedictionem à solo eorum Superiore dumtaxat petere, & obtinere teneantur; Hæcque etiam locum habere debeant ex Bulla - - *Pretiosus* - - ubi iidem Fratres in Ecclesiis, aut Oratoriis prædictis soli in Quadragesima, vel per annum Conciones habere solent, ac consueverunt, ac etiam electionem, nominationem, aut etiam eleemosynam à Communitate quacumque extranea, atque insuper intra prædicta tempora Conciones, aut Sermones singulares in Ecclesiis, quæ non sunt ipsius Ordinis, ex devotione Cleri, vel Populi, consuetudine, aut etiam conventionem aliquam, sint habituri? Quum obstat Decretum Congregationis Concilii in una *Theanen.* post emanatam Constitutionem ipsam - - *Pretiosus* - - latum 19. Junii 1728.

V. Circa Ordinariam Jurisdictionem in Moniales sibi subiectas, quàm restitutam voluit S. V. Ordini suo ad terminos Trident. & Constitutionem S. Pii, An ad Episcopum pertineat, ultrà explorationem voluntatis puellæ juxta idem Concilium *Sess. XXV. Cap. XVII.* dare facultatem ad congregandum Capitulum pro vestitione, aut professione, five ad dandum habitum, aut emitendam professionem: aut exigere attestationem de peractis exercitiis spiritualibus: disponere etiam *privativè* quoad Superiores Ordinis de dote ipsius post emissam professionem; *privativè* quoque, aut *cumulativè* cum ipsis, dare licentiam pro extraneorum accessu ad colloquendum Monialibus, aut subscribere licentias pro ingressu Monasteriorum in casibus necessitatis, non obstante contraria ejusdem Trident. dispositione juxta declarationem S. Pii V. in Constitutione - - *Etsi Mendicantium* - - à Sanctitate Vestra confirmatam: In Visitatione quoque, ac ingressu Clausuræ, Episcopo toties quoties opus erit, facultate ab ipso Tridentino, ac S. Sede delegata, competentibus, aliud quodcumque præter Clausuram ipsam materialem, aut non associante Superiore, visitare, ac etiam ingrediendo cum Pluviali, & Stola contra Decretum Congregationis Concilii in una *Florentina 29. Julii 1684.* aut cum præparatione, non Strati, sed Sedis cum Baldachino in alterutra, aut in utraque Ecclesia, aut receptum à Monialibus processionaliter, five cum Cruce erecta, aut cum Cantico *Benedictus*, aut ab ipsis accipiendo Crucem deosculandam, contra Decreta prædictæ Congregationis - - *ad Dubia Visitationis Clausuræ 19. Januarii 1686.*?

VI. Quantum ad personas utriusque sexus Tertii Ordinis Sancti Dominici, an spectatis omnibus, quæ Sanctitas Vestra mandare dignata est, illæ, quæ non habent requisita omnia in Constitutione - - *Pretiosus* - - præscripta, sed absque Voto in domibus propriis degunt, nec habitum Ordinis patenter, sed vel absconditum, vel in signo, aut parte aliqua ejusdem, deferunt, solis tantummodo Indulgentiis, & gratiis spiritualibus, Tertio Ordini ibidem concessis, &, si sint Clerici in Sacris Ordinibus constituti, etiam facultate recitandi Officium, ac respectivè celebrandi Missam, sub ritu tamen Romano, de SS. ac BB. Ordinis Prædicatorum, juxta Indulta huic Ordini à S. Sede facta, vel facienda, dummodò tamen in iis, quæ proprium Institutum spectant, Magistro Ordinis in eadem Constitutione præscriptam obedientiam, ac reverentiam servant: Personæ verò *seorsim* in domibus privatis cum voto, habitu, & Regula ejusdem Tertii Ordinis viventes, etiam pro anno Probationis, non minus, ac quæ collegialiter vivunt, omnibus, & singulariter in prædicta Constitutione, & signanter circa Sacramentorum receptionem, & earum Cadaverum post mortem Sepulturam, necnon plenissimam exemptionem à Jurisdictione cujuscumque Ordinarii, concessis, frui, gaudere, & potiri possint, & debeant? Possint nihilominus Superiores Ordinis, ad tollendas innumeras lites, absque ullo præjudicio proprie

Jurisdictionis processu cujuscumque longissimi, etiam centum, & biscentum annorum, temporis, ubi non adfit legitima consuetudo in contrarium, ante, vel post editam Constitutionem ipsam - - *Pretiosus* - - introducta, ac ubi Parochus citra omnem controversiam, & difficultatem acquiescat, & non aliter, permittere, quatenus Parochus ipse hisce prædictis Tertiariis mortaliter, aut habitualiter infirmis, Sacram Eucharistiam in mortis articulo, Paschate, & in aliis anni solemnitatibus, ac etiam, urgente peculiari aliquo rationabili motivo, Extremam Unctionem, ministrare, earumque Cadavera, cum obierint, usque ad fores Ecclesiarum Ordinis exclusivè associare, tumque titulo congruæ Eleemosynæ, non verò cujuscumque Parochialis Quartæ, aut cujuscumque alterius Canonice portionis sibi debite, juxta Taxam inter Ordinarium, & Superiorem Loci, per modum regulæ perpetuè retinendæ, firmandam, illud, quod ab iisdem conveniens judicatum fuerit, recipere liberè, ac licitè possit, ac valeat?

VII. An Declarationes, quas vivæ vocis Oraculo super iis dubiis edere dignabitur S. V., censeferi debeant, tanquam literaliter scriptæ, insertæ, & expressæ in prædicta Constitutione - - *Pretiosus* - - etiam cum avocatione, & extinctione litium desuper pendentium; facultate sublata cuicumque Tribunali, etiam S. R. E. Cardinalibus, aliter judicandi, declarandi, & definiendi: Decreto irritante: commissione executionis: mandato de habenda Fide exemplaribus etiam impressis: cum aliis omnibus in eadem Constitutione contentis: & signanter cum clausulis præservativis, ac derogativis quibuscumque obstantibus, itaut non solum ibidem recentis, sed etiam censeferi debeat, ac sit, derogatum, omnibus, & singulis individuis etiam conventionibus, etiam in limine foundationis, etiam cum juramento factis, Provincialibus quoque, & Synodalibus Decretis, Tribunalium quorumcumque sententiis, ac Congregationis S. R. E. Cardinalium Responsionibus, Decisionibus, Decretis, Rescriptis, Resolutionibus, & prædictis quidem, etiam si semel, vel pluries, etiam in forma specifica, & specialiter à S. Sede approbatis, vel confirmatis, five etiam clausulis, & formulis undequaque extraordinariis conceptis, approbatis, vel confirmatis, ac etiam quavis specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, mentione dignis, itaut eodem pacto pro insertis haberi debeant?

## EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Die 28. Septembris 1728.

Facta per me relatione Sanctitas Sua, benignè declarando dubia, ut in adjunctis precibus excitata, *ad Primum: Tertium: Quartum: Sextum: & Septimum,* respondit *in omnibus Affirmativè.*

*Ad Secundum, verò, & Quintum, Negativè in omnibus.* Per id tamen Sanctitas Sua Episcopis, qui *privativè*, vel *cumulativè* Licentias pro accessu, vel ingressu in Monasteria subiecta Ordini, dare, vel subscribere aliàs consueverunt, non intelligit prohibere, quin possint etiam in postremum easdem dare, vel subscribere, *cumulativè* tamen semper cum Ordinis Superioribus, & non aliàs. Ubi autem iidem Episcopi renuant, sufficiat Licentia, five subscriptio Ordinis Superiorum ad utrumque effectum. Decretis Congregationum, Constitutionibus Apostolicis, Consuetudinibus, & aliis quibuscumque, quomodolibet in contrarium facientibus, quoad omnia superius declarata, minimè refragantibus.

L. + S. I. Card. Accorambonus Pro-Auditor.